

Universitätsbibliothek Wuppertal

Scholia graeca in Aristophanem

Dübner, Friedrich

Parisiis, 1842

Vorwort (Karl Wilhelm Dindorf)

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-5255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-5255)

G. DINDORFII PRÆFATIO.

Ad scholia in Aristophanem et emendanda et locupletanda codicibus usus sum sex,

R. Ravennate,

V. Veneto Marciano 474,

G. ejusdem bibliothecæ 475,

Θ. Florentino Laurentiano 2779,

Γ. ejusdem bibliothecæ plutei 31, 15,

M. Mediolanensi Ambrosiano L, 39,

aliorumque nonnullorum excerptis, quæ suis quæque locis commemoravi. Horum librorum omnium et ætate et auctoritate princeps est Ravennas undecim fabularum. Propria huic codici sunt scholia Thesmophorizusarum, Lysistratæque versuum 818-880, 1099-1228, 1260-1278, 1297-1311; desunt Equitum 216-1408, Pacis 1039-1356, Avium 239-394, Lysistratæ 376-404. Scholia minus quam vulgo sunt copiosa: caret enim non solum Byzantinorum grammaticorum annotationibus, sed etiam de scholiis Alexandrinis passim omisit quæ ad explicandas poetæ sententias minus necessaria esse videntur. Vocabulis Græcobarbaris in scholiis pariter atque glossematis inter versus positus utitur rarissime iisque nonnisi talibus quæ ante Constantini magni tempora in linguam vulgarem esse illata vel scriptorum exemplis constet vel analogia doceat: cujusmodi sunt βάλλα ad Plut. 476, ὀγκίνοι 431, σιδάριον et φακιδίον 729, κοῦσπος ad Pac. 478, βουρδωνάριος et σταβλίτης ad Thesmoph. 491, vocabulum Latinum ἐκσκέπτου (exceptorem) ad Nub. 770. Patriam suam, non tamen diserte nominatam, semel memorat librarius ad Avium v. 842, ubi quæ scholiasta de excubitoribus per tintinnabula exploratis annotavit, suo ipsius additamento auxit librarius, ὅπερ ἐθεασάμην καὶ τὸς ἑγὼς ἐν τῇ ἐμῇ πατρίδι. Similis est recentis scholiastæ annotatio ad Ran. 932. Primus post renata literarum studia hoc codice usus est Antonius Francinus, qui Pacis versus 948-1005, quibus caret editio Aldina, una cum scholiis ex eo descriptos edidit in editione Juntina a. 1525, nulla quamvis mentione codicis facta.

Proximus Ravennati Venetus est 474, qui septem tantum fabulas complectitur: desunt enim Acharnenses, Ecclesiazusæ, Thesmophorizusæ, Lysistrata. Scholia antiqua longe quam Ravennas habet ampliora, raro admixtis recentiorum grammaticorum annotationibus, quales sunt de mensis coronatis Hebræorum ad Plut. 1056, de

Venere genitrice ad Nub. 52, et excerpta ex Athenæo de ludo cottabi ad Pac. 1244. Vocabulorum barbarorum usus iisdem quibus in Ravennate finibus continetur. Sic σιδάριον et φακιδίον est in scholio Pluti 729, ὀγκίνοι ib. 431, κοντομετροῦσα ib. 436, πατελὶς ibid. 1097, καμηλαύκιον ad Nub. 268, σπόρτουλα ib. 1136. Latina ἐκσκέπτου ib. 770, δηλάτορας ad Plut. 287.

Veneto 474 (V.) tam similis est alter ejusdem bibliothecæ codex (G.), ut descriptus ex ipso videatur, omissis plerumque glossematis interlinearibus, quæ prior ille non pauca habet, additis autem aliunde excerptorum de comœdia capitibus duobus (I et II ed. nostræ), annotationibus aliquot ad primos Pluti versus, ad Av. 559, 560, 801, et loco Theopompi ad Ran. 218, quem brevior exhibet V. Reliqua scripturæ diversitas quamvis non infrequens, tamen ubique est ejusmodi ut librario tribui possit prioris codicis corruptelas corrigenti: in quo ille ita est versatus ut aliis in locis verum videret, quod non difficile fuit in tot minorum vitiorum correctione, in aliis miram proderet ingenii hebetudinem, cujus satis erit aliquot hoc loco produxisse documenta:

	V	G	scribendum
AV. 465	ῥωμέως	ῥωμαλέου	νομέως
1395	ἐνιαυτῇ	ἐν τοιαύτῃ	ἐνια τῇ
1490	τιτανωπάσι	τιτάνη πασιγᾶς	Τιτανώπασι
	λλ		
1556	βαβυ	διαβάλλει	Βαβυλωνίους.

Interdum lacunas absurde explevit, velut Av. 874, 1297, vel non intellecta ab se correxit, ut Pac. 959, τὴν κομικὴν γράψας λέξιν mutavit in κομφοδίκην γράψας. Hoc libro ita sum usus ut dissensum ejus a Veneto priore annotarem, omitem consensus.

Laurentianus Θ. quattuor fabularum, chartaceus sæculi quarti decimi, præcipuo usui fuit in scholiis Equitum, ubi bona plurima cum Veneto habet communia, nonnulla etiam sibi propria, neque in Pluto et Ranis utilitate sua caruit. Ad Nubes tenuiora habet scholiorum excerpta quam quæ commemorari singula operæ pretium fuerit, omninoque libri hujus lectionibus cum delectu quodam usus sum, ne annotationem meam inutili mole augerem. Infimi ævi scholiis hic quoque codex caret, nisi quod uno alteroque loco annotationes quasdam insertas habet quales Moschopolus aliique ejusdem temporis grammatici

puerilis institutionis causa scribere solebant, velut de constructione verbi κατηγορεῖν ad Plut. 919, de verbo ὀχεῖν ad Ran. 23, de Centauris ibid. 38. Glossemata interlinearia copiosa habet, quæ ad Plutum frequentius quam ad ceteras fabulas apposui, quanquam in his quoque nihil omisi quod ullo modo utile esse posset. In Pluto non pauca, quæ Hemsterhusius ex suis codicibus minus emendatis ediderat, correxi et nonnulla, quæ illi inexplicabilia videbantur, Laurentiani libri ope expediui. Vocabula Græco-barbara ævi longe quam Ravennas et Venetus inferioris passim infert, ut τριζέριον ad Plut. 172, et ζαρομάγουλον ibid. 266.

Laurentiano altero (F.) usus sum ad Ecclesiasticas. Lacunas habet non paucas et nihil præbuit quod non e Ravennate peti potuerit. Est chartaceus seculi quarti decimi. Insunt præterea fabulæ quinque, sed ipsæ quoque locis plurimis defectæ, Acharnenses, Equites, Aves, Vespæ, Pax, cum scholiorum excerptis vitiosissime scriptis et nihil usquam boni suppeditantibus, quod non ex libris antiquioribus ab me sumi potuerit.

Mediolanensis (M.) bombycinus est seculi quarti decimi. Insunt Plutus, Nubes, Ranæ, Equites, Aves cum excerptis scholiorum modo amplioribus modo brevioribus, ex quibus potiorem lectionis diversitatem ad Ranas attuli: ex qua intelligitur codicem quamvis emendationem exemplari Aldino, tamen inferiorem esse Ravennate Venetoque et nihil utile præbere quod non sit ab illis libris occupatum.

Proximus post libros scriptos locus Suidæ debetur, qui magnam scholiorum partem in lexicon suum transtulit, codicibus, ut nunc manifestum sit, usus qui Ravennati Venetoque simillimi fuerunt: ut non mirandum sit lectiones veras, quæ Suidæ propriæ sint, post excussos ab nobis libros illos vix tot singulas superesse quot centenas ex eo petere potuissent priores scholiorum editores, si præclaro hoc antiquæ lectionis thesauro diligentius uti voluissent. Licet igitur valde imminuta nunc sit Suidæ utilitas, tamen operæ pretium esse putavi lectionem ejus plerumque annotare, quum præsertim nonnihil conferat ad codicum nostrorum vitia corrigenda et vicissim ex ipsis interdum emendari possit, velut s. v. ἐγκυκλοδύλημος, ubi Cypriæ vocis κυκλοδύλη testis assertur Κρέων ἐν α' τῶν ῥητορικῶν, quod nemo dubitabit quin ex scholio Veneto Nub. 10 corrigendum sit Κυπριακῶν.

Inter libros typis impressos prima est scholiorum editio Aldina a. 1498 novem fabularum

(caret enim Thesmophoriazasis et Lysistrata), a Marco Musuro Cretensi curata, qui hoc in opere eadem versatus est levitate quam ex Athenæo et Hesychio turpiter ab eo interpolatis cognitam habemus. Ipse de opera in scholiis ab se posita hæc pauca tradidit in præfatione: «Τὰ δ' ὑπομνήματα ταυτὰ καὶ πόνοι πολλοὺ καὶ χρόνου ἰδεῖτο μακροῦ, εἴ τις αὐτὰ πρὸς τὸ βέλτιον ἐγχειροῖ μετὰ μόσασθαι σγῆμα. ὦν θατέρου μὲν ἐπεκρατήσαμεν καίτοι κρείττονος ἢ φέρειν. περὶ στενὸν δέ μοι κομιδῇ τὰ τοῦ χρόνου συνέβη. οὐ γὰρ μόνον τὰς ἐξηγήσεις συνείρειν ἡργολαβήσαμεν πεφυρμένα τέως, ὡς ἴστε πού καὶ αὐτοὶ, ἀλλὰ καὶ τυπωθεῖσας ἤδη ἐπετετραμέμεθα διορθοῦν· αἱ δὲ τῶν χαλκογράφων ἀμαρτίαι κάρηνά εἰσι λερναία τῆς πηλιψυοῦς ὕδρας πολυπλοκώτερα καὶ τῆς Ἰόλει ἐπικουρίας δεόμενα. ὅσῳ γὰρ ἐξεκόπτομεν, τοσῶδε πλείους ἡμῖν ἀνεγύοντο τοῦ τὸ μὲν μεταβάλλειν, τὸ δὲ προστιθέναι, τὸ δ' ἀφαιρεῖσθαι τῶν στοιχείων ἀπορμαί.» Et in fine Avium, «Ἀριστοφάνους κωμικῶν ἐπὶ τὰ (has dicit, Plutum, Nubes, Ranas, Equites, Acharnenses, Vespas, Aves) καὶ τῶν εἰς αὐτὰς σχολίων ἀρχαίοις συντεθέντων γραμματικῶν, ἃ δὲ σποράδην ἐν ἀντιγράφοις κεῖμενα διαφόροις καὶ πεφυρμένως συνειλεχτά τε καὶ ὡς οἶόν τ' ἦν ἐπιμελέστατα δῶρθωται παρὰ Μάρκου Μουσούρου τοῦ Κρητός.» Majoris momenti sunt quæ ex editione ipsa cum nostris comparata codicibus colligi possunt. Atque illud quidem satis manifestum est, Aldum, ut in plerisque omnibus scriptorum editionibus factum ab eo videmus, ita Aristophanis quoque non vetustas anquisivisse membranas, sed recentibus codicibus chartaceis, quantumvis vitiosis, uti maluisse, qui vili pretio haberi correctique typothetis tradi possent, libro autem typis exscripto tanquam nulli amplius usui futuri abjicerentur: unde facile explicari potest quod editiones Aldinæ, si ad codices exigantur, non tam cum libris vetustis quam cum chartaceis infimi ævi consentire reperiuntur, nec mirandum exemplaria, quibus Aldus usus est, ita evanuisse ut vix unum alterumque investigari a posteris potuerit: quod in codice Hesychii Marciano propitia fortuna accidit. Codicum vero Aristophanis a Musuro expressorum genus duplex fuit: alii enim scholia vetera sunt complexi, alii recentissimorum grammaticorum annotationes præbuerunt, copiosiores ad Plutum, Nubes, Ranas, quæ fabulæ præeuntibus grammaticis Byzantinis tum fere solæ tractari in scholis solebant, rariores ad reliquas comædias. Horum librorum scholia a Musuro non raro ita sunt conglutinata ut ab uno eodemque grammatico scripta videantur quæ multorum seculorum intervallo sunt dispa-

rata. Quam temeritatem Musurus auxit eo quod scholia locis plurimis ex Harpocrate, Suida aliisque scriptoribus (1) interpolavit, et ita quidem ut suorum temporum infantiam ubique proderet. Nam quum ex Suida scholiorum lacunas plurimas explere codicumque suorum vitia innumerabilia emendare posset, his bonis omnibus neglectis ea tantum ex Suida et aliunde intulit quæ nulli usui essent nec raro ab scholiastarum veterum consuetudine abhorrent: cujusmodi sunt quæ Suidas ex Polybio, Appiano, Juliano, Procopio similibusque scriptoribus citavit.

Editioni Aldinæ successit a. 1525 Florentina Antonii Francini (2), quæ editionis principis vestigia vix usquam nec nisi in rebus levissimis deseruit, accessionem vero unam habet laudabilem scholia ad Pacis v. 948-1005 ex codice Ravennate suppleta, de quibus supra dicebam: nam quæ præterea ad priores maxime fabulas passim addidit Francinus scholia et glossemata, etsi partim ex libris manuscriptis ducta esse nostrorum codicum consensus arguit, nullius plane pretii sunt. Alia ex scholiasta Pindari, Eustathio aliisque grammaticis descripta editor inseruit, non sine gravibus peccatis, cujusmodi est quod scholiis Aldinis de Pamphilo pictore Atheniensi ad Plut. 385 excerptum quoddam adjunxit ex scholiasta Pindari de Pamphylo Heraclida, Ægimii filio, quem ipse Pamphilum scribit.

(1) Ex Harpocrate Nub. 1134, Eq. 414, Eccl. 18, 289, 395, 602, 663. Ex Suida Nub. 971, Ran. 295, 791, 1300, Eq. 422, 435, 445, 527, 531, 600, 606, 645, 716, 728, 756, 852, 854, 855, 954, 964, 984, 1011, 1017, 1085, 1150, 1302, Ach. 520, 1182, Vesp. 170, 289, 583, 678, 681, 721, 769, 874, 1026, 1038, 1042, 1111, 1238, 1259, 1410, 1411, 1490, 1517, Pac. 17, 153, 835, 1094, Av. 158, 194, 1022, 1283, Eccl. 18, 146, 154, 652, 1026. Ex Eliano De nat. anim. Eq. 645. Ex Ammonio Eccl. 611. Ex Demetrio περί ἑρμηνείας Nub. 401. Ex Diodoro Pl. 9. Ex Eustathio ad Dionysium Nub. 208. Ex Gregorio Cor. Nub. 53. Ex Pausania Ran. 55. Ex Plutarcho Nub. 1179, Eq. 1017. Ex scholiasta Apollonii Rhodii Nub. 397, 1068. Ex scholiasta Euripidis Ran. 303, 1185, 1225, Vesp. 1413. Ex Stephano Byz. Nub. 323, 332. Ex vita Sophoclis Ran. 73. Ex Zenobii proverbii Nub. 133, Vesp. 191, Eq. 984.

(2) *Fracinum* nominant Hemsterhusius, Brunckius aliique, errore decepti typothetæ, qui *Fracinus* pro *Francinus* posuit in fronte epistolæ ad Benedictum Accoltam, archiepiscopum Ravennatem. Nomen viro fuisse *Francini* ex Luciani Suetoniique editionibus et aliunde constat. Et sic vocatur in epigrammate Σεβαστιάνου τοῦ Δουναίου, quod Aristophani præfixum est, πρώτος ὁ Μουσούρος δῶκεν ποτὶ πολλὰ μογήσας | χαλκοῦ ποιεῖ σέλιον βίβλαν Ἀριστοφάνους. | δεύτερος αὖ Φραγίνος ἰδοὺ νῦν ταῦτα· χαράζας | πλεῖστα διορθώσας, πῖνακα προσθέμενος.

Editionem Florentinam repetiverunt Sigismundus Gelenius Basileæ a. 1547, et Æmilius Portus Aureliæ Allobrogum a. 1607, uterque non sine frequentibus levium vitiorum correctionibus: quas emendatiunculas hodie ex illis expiscari editionibus tanto minus operæ pretium fuit, quum prope omnes graviorem nunc habeant auctoritatem codicum. Multo minus commemorare licuit quæ et isti et alii editores non raro vel sana attrectarunt vel vitiosa corrigendo magis corruerunt.

Æmilii Porti vestigiis institit Ludolphus Kusterus in editione Amstelodamensi a. 1710, qui ipse quoque leviora scripturæ vitia multa tacite correxit, de aliis in annotatione monuit, adhibito interdum Suidæ lexico. Scholia Lysistratæ primus edidit ex codicibus Vossiano Leidensi (L) et Barocciano 38 (*Bar.*). Uterque codex lacunosus est neque ad Ravennatem comparandus: neutrum satis diligenter tractavit Kusterus. Baroccianum accuratius contulit Joannes Alberti in Observationibus miscellaneis Amstelodamensibus vol. 7, p. 125, quanquam non ipso codice usus, sed apographo quodam ejus a. 1697 facto. Vossianum ego ipse inspexi.

Librorum Parisinorum glossemata Brunckius, Britannicorum Dobræus edidit.

«*Copias Victorianas*» magnæ testes inopiæ, ad fabulas novem Aldinas edidit Aloysius Nickelius in Thierschii Actis Monacensibus vol. 1, p. 341-416. Sunt illæ copię nihil fere aliud quam glossemata partim ex codicibus quibusdam excerpta, inter quos libri nostri V.Θ. esse videntur, partim a Victorio e lexicographis transcripta in marginem exemplaris Aldini quod nunc in bibliotheca regia Monacensi asservatur.

Scholiis in Plutum utilissima fuit Hemsterhusii opera (a. 1744), quamvis non alio usi adjumento quam Suidæ lexico. Namque duorum qui illi præsto fuere codicum margines, Dorvilliani et Leidensis, non veterum grammaticorum scholiis, sed barbaris novitiorum hominum interpretationibus plerumque verbum verbo reddentibus impletæ sunt: quarum numerum aliis e libris magnopere augere potuissem, nisi chartis parcere præstitisset. Non multo melioris notæ sunt quæ ex codice Parisino 2827 (*Paris.*) ab Bastio excerpta scholia et glossemata Schæferus edidit in appendice ad Pluti Hemsterhusiani editionem Lipsiensem p. 487-565, quæ partim Thomæ Magistri esse ex primo ad Plutum scholio colligi potest. Annotationes Hemsterhusii meis ita inserui ut rescarem quæ nostrorum codicum lectio inutilia reddidisset, in iis autem

quas apponerem interdum modum adhiberem verbis viri eximii, quem notum est non raro longis verborum ambagibus ea in scriptis suis exposuisse, quæ sine ullo lectorum incommodo brevissima oratione transigi poterant.

Scholia in Nubes J. A. Ernesti edidit Lipsiæ a. 1754 cum præfatione, qua de discernendis diversorum grammaticorum scholiis disseruit emendationesque locorum quorundam proposuit: post Ernestium Hermannus a. 1799, iterumque a. 1830, qui ipse quoque nonnulla ex conjectura emendavit, alia ex Suida restituit. Scholia aliquot et glossemata codicis Nubium Leidensis ex schedis Ruhnkenii edidit Tittmannus inter Epistolas ejus p. 118-125.

Sequitur ut de origine et compositione scholiorum dicatur, de qua satis recte judicavit Kusterus (1), nisi quod tres potius quam duas ponere debebat scholiastarum classes. Prima scholiorum fundamenta jacta esse constat a grammaticis Alexandrinis, quorum alii Aristophanis fabulas annotationibus suis (*ὑπομνήμασιν*) illustrarunt, alii ad intelligendas illas plurimum contulerunt per libros amplioribus in argumentis versatos, inter quos præ ceteris celebrati fuerunt Lycophronis et Eratosthenis commentarii *περί χωρῶν*. His successit secunda scholiastarum classis, qui ex illis antiquiorum grammaticorum copiis excerpta (*ἐκλογὰς ὑπομνημάτων*) confecerunt (2), scholiorumque veterum farragin-

(1) In præfat.: «Scholia Musuriana partim a peritustis iisque clarissimi nominis grammaticis, veluti Apollonio, Didymo, Symmacho, Aristarcho et aliis quorum in ipsis scholiis fit mentio, conscripta sunt, quæ proinde non mirum si optimæ sint notæ veramque et priscam illam eruditionem sapiant; partim auctores habent Thomam Magistram et Joannem Tzetzen aliosque forte illius ætatis Græculos, partim etiam ab ipso M. Musuro hinc et inde mihi interpolata videntur. De Thoma Magistro et Joanne Tzetze omne dubium mihi exemerunt Excerpta scholiorum in Aristophanem ex codice MS. Vaticano 1294, qui fuit quondam Fulvii Ursini, itemque Excerpta ex cod. MS. Urbinatæ 141 in eadem bibliotheca. Horum enim codicum prioris Excerpta præferunt nomen Thomæ Magistri, posterioris, Joannis Tzetis: in quibus quæ leguntur, maxima ex parte in editis ad Aristophanem scholiis ἀπολελειμένοι quoque occurrunt. Scholiis hisce Musuriæ Florentini postea in editione sua haud pauca, in priores præsertim comœdias (nam in posteriores vix quicquam ab iis additum deprehendi) e vulgatis et tritis fere scriptoribus exiguo interdum judicio adjecerunt.»

(2) Ejusmodi excerpta significat subscriptio codicis Veneti in fine Nubium, κεκλιῖται ἐκ τῶν Ἡιοδώρου, παραγράφεται ἐκ τῶν Φαίνοῦ καὶ Συμμάχου καὶ ἄλλων τινῶν, et in fine Pacis, κεκλιῖται πρὸς τὰ Ἡιοδώρου, παραγράφεται ἐκ Φαίνοῦ καὶ Συμμάχου. Quot comici fabulæ scholiis illustratæ fuerint nescimus. Scholia Holcadum citantur ab schol. Av. 1283 et Lys. 722, scholia Danaïdum ad Plut. 210. Ex scholiis Tagenistarum excerpta

nem suis ipsorum auctam additamentis in eam fere qua hodie utimur formam redigerent: quod quarto circiter quintove æræ nostræ seculo evenisse eoque ipso factum videtur ut genuina commentaria Alexandrina mature neglecta perirent. Recentior autem hæc scholiorum collectio quum satis commoda usui legentium esset, nullas admodum mutationes experta, quantum ex Suida conjicere licet, usque ad seculum duodecimum per codices videtur esse propagata: quo tempore augeri scholia denuo ceperunt a grammaticis Byzantinis, Joanne Tzetzæ, Thoma Magistro, Moschopulo aliisque Græculis, quorum opera fere in tribus primis fabulis substituit. Annotationes ipsæ tam inutiles sunt et jejunæ ut ad suos singulas revocare auctores vix operæ pretium videatur. Scholiis ad Plutum Joannes Tzetzæ brevem præmisit poesis Græcæ historiam, qualem ipse commentariis in Hesiodum, frater autem Isaacus Lycophroni præfixit. Nam sic intelligendum videtur quod de Cæcio (id est Tzetzæ) narratur in codice quodam Plauti Romano. (V. Proleg. cap. X, b.)

[In Addendis ineunte a. 1839 scriptis: Excerpta hæc ex antiquiorum, Alexandrinorum potissimum et Pergamenorum, grammaticorum commentariis ab Symmacho esse facta ejusque commentarium Aristophaneum præcipuum scholiorum nostrorum fontem, veterum autem inter ea scholiorum unicum fuisse demonstrare conatus est Otto Schneiderus, qui commentationem de veterum in Aristophanem scholiorum fontibus docte et diligenter scriptam Sundiæ edidit a. 1838. Symmachi nomen quum in undequadragesima scholiorum locis commemoretur, non improbabile est alia quoque non pauca, quibus Symmachi nomen non est appositum, ex commentario ejus esse derivata. Unicum vero scholiorum veterum fontem quominus esse credamus vel illud impedit quod in subscriptionibus codicis Veneti, in fine Nubium, scholia excerpta esse dicuntur ἐκ τῶν Φαίνοῦ καὶ Συμμάχου καὶ ἄλλων τινῶν, in fine Pacis ἐκ Φαίνοῦ καὶ Συμμάχου, in fine Avium ἐκ τῶν Συμμάχου καὶ ἄλλων σχολίων. Quam difficultatem quum bene sensisset Schneiderus, subscriptionum illarum auctoritatem ita elevavit (p. 119), ut Phainum grammaticum fuisse conjiceret satis recentem eumque nec doctum probe nec ab antiquis in Aristophanem commentariis valde instructum, qui

sunt quæ Photius in Lexico posuit s. Παραιέδρουσαν, ab antiquiore, ut opinor, grammatico accepta: neque enim Photium plures quam hodie supersunt comœdias legisse credam.

satis levi opera nonnullas Aristophanis fabulas interpretatus sit, ad modum fere Thomæ Magistri, i. e. codicibus Aristophaneis usus, quibus excerpta vetera e Symmacho apposita fuerint; quæ quum, ut fere mos fuit istorum grammaticorum, sæpe suffuraretur integra et pro suis vendicaret, facile poterat evenire ut in scholiis Aldinis plerumque omitteretur Phaini nomen, in Etymologico autem Magno (1) ab aliquo recentiore magistro Symmachi memorie, quam solam propagaverat Orus, adderetur. Illos autem codicis Veneti ἄλλους τινὰς ita removere studet (p. 122), ut, nisi simulatæ scholiorum copiae ostentatio subsit, certe grammaticos intelligendos esse affirmet Symmacho recentiores, quos fortasse fore qui Thomam Magistrum, Joannem Tzetam, Manuelem Moschopulum vel Demetrium Triclinium esse suspicentur, de quo vel propter ætatem qua scriptus codex Venetus est nemo nisi temporum rationis plane ignarus cogitare poterit, ne quid de ipsorum scholiorum Venetorum indole dicam ab illorum infimi ævi grammaticorum commentandi genere quam maxime aliena. Quæ omnia facile apparet quam sint infirma ad Schaeideri sententiam defendendam argumenta. Ac primo quidem illa quæ de Phaino dicit Schaeiderus plane pro arbitrio dicta sunt, nec quod Phainus μολγόν in Equitibus v. 963

(1) Etymologici locus hic est p. 200, 46: Βλημάζειν τὸ τιτθολαθεῖν — ὡς φησι Κρατῖνος — « Καὶ γὰρ ἐβλήμαζον αὐτὴν » — εἰρηται δὲ παρὰ τὸ φλίσω — ὅθεν καὶ φλιά. παράγωγον φλημάζω, καὶ ὡς φλίσω θλίβω, οὕτω φλημάζω βλημάζω. Φασινὸς δὲ καὶ Σύμμαχος, παρὰ τὸ βλημάζειν τοῦ μολγόν ἐγκειμένον. Quæ, nisi ex scholiis in Cratinum sunt excerpta, in quo poeta explicando Symmachum certe operam posuisse infra ostendemus, ex scholio ad Aristoph. Av. 530 repetita credi possunt, licet illic nunc nullum supersit Phaini Symmachique nominum vestigium, sed Callistrati solum Didymique explicationes proponantur. Omninoque Phainus in scholiis nostris nusquam nominatur nisi ad quinque Equitum versus 963, 1129, 1150, 1220, 1256. Sed Phainum non hanc unam fabulam, sed easdem omnes quas Symmachum pertractasse ex subscriptionibus codicis Veneti satis tuto colligi potest. Quod igitur solis in scholiis Equitum nunc nominatum videmus Phainum casui non minus est imputandum quam quod in scholiis ad Aves veterum interpretum nomina frequentius quam in ulla ceterarum fabularum sunt servata. Sic de locis undequadragesima, ubi Symmachum nominari supra dicebam, viginti ad solam Avium fabulam pertinent, ad Pacem unus, ad Plutum, Nubes, Ranas, Vespas et Thesmophoriasas duo, ad Equites sex, ad Acharnenses tres. Eadem fere Didymi Euphroniique nominum ratio est. Didymus enim quum locis citetur duo de septuaginta, Euphronius autem viginti septem, de illis loci triginta quattuor, de his quattuordecim ad Aves pertinent. Contra Apollonius duodecies citatur in scholiis Ranarum, quinque ad quattuor alias fabulas, Timachidas ad solam Ranarum fabulam locis decem, Demetrius Ixion ad sex locos Ranarum, semel ad Vespas et Aves.

per τυγλόν perverse est interpretatus, quo uno documento Schaeideri de eo opinio nititur, satis causæ est ut ne dignus quidem Symmacho interprete docto cauto et accurato socius iudicetur Phainus, quum grammatici utroque illo longe et vetustiores et doctiores non raro similia et graviora adeo in interpretando peccata commiserint, inter quæ illud quoque de Symmacho est, in Pluto v. 1011 Nitarium et Battum cinædos somniantes: quod commentum, ab Schaeidero p. 61 utcumque excusatum, interpretationis istius vocabuli μολγόν a Phaino excogitata absurditatem aliquanto superat. Nihilo certioribus rationibus altera nititur opinio Schaeideri ἄλλους τινὰς quos codex Venetus addit grammaticos esse intelligendos Symmacho recentiores, quod affirmari non magis quam negari potest. Nam quum nomina illorum ignoremus, pari jure et antiquiores et æquales et recentiores Symmacho haberi possunt. Denique ne illud quidem extra dubitationem positum est quod Schaeiderus p. 57 et 23 contendit, quoties in scholiis ὑπόμνημα vel τὸ ὑπόμνημα minoretur, quod duobus tantum locis factum est (1), Symmachi significari commentarium; quoties autem numero plurali τὰ ὑπομνήματα vel ἑνία τῶν ὑπομνημάτων citentur (2), antiquiores interpretes ab Symmacho excerptos intelligi. Quæ conjectura duplici premitur incommodo. Nam quum in scholiis modo Symmachus aliive interpretes nominentur, modo omisso grammatici nomine τὸ ὑπόμνημα vel τὰ ὑπομνήματα, nusquam autem Συμμάχου ὑπόμνημα citetur, nec scholiis in

(1) Ad Pluti v. 1037, ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι οὕτως: ad Pac. 758, οὕτως εὔρον ἐν ὑπομνήματι. Similiter Orion Etymol. p. 18: οὕτως εὔρον ἐν ὑπομνήματι εἰς Ἀριστοφάνην. Ὁ κωμικὸς καὶ ὁ κατ' αὐτὸν ὑπομνηματισμὸς ἐν τῷ Πλούτῳ (v. 322) ab Eustathio citatur ad Homer. p. 746, et ὁ ἐξηγησάμενος παρ' Ἀριστοφάνει τὸ (Plut. v. 159) ὀνόματι περιπέττουσι τὴν μοχθηρίαν p. 722: quæ ipsa quoque ad Symmachi commentarium refert Schaeiderus p. 29.

(2) Ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν οὕτω (vel ταυτί) γέγραπται schol. ad Vesp. 544, 968, Av. 1075. Λέγεται καταψεύδεσθαι τῶν ὑπομνημάτων schol. ad Av. 283. Ἐν ἐνίοις τῶν ὑπομνημάτων ad Av. 556. Ἐν ἐνίοις ὑπομνήμασιν ad Av. 281. Ἐν ἐνίοις τῶν σχολικῶν ὑπομνήμασιν ad Av. 1242. Τὰ λίαν ἐπιτετηδευμένα ὑπομνήματα ad Pl. 385. Τὰ παλαιὰ et τὰ νεώτερα ἀντίγραφα nominat schol. ad Nub. 508, codices intelligens scholia vel vetera vel recentia complexos. (Similiter ib. ad v. 1423: παρὰ δὲ τινι τῶν νεωτέρων κατὰ λέξιν οὕτως) — quo scholio carent codices nostri. Quocum comparandum quod in schol. Acharn. 1182 legitur γράφεται δὲ οὕτως non de scriptura, sed de interpretatione dictum. Τὰ ἐπιγεγραμμένα Ἀπολλωνίου ὑπομνήματα citat schol. Av. 1242. Ἀντίπατρον καὶ Εὐφρόνιον ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ibid. v. 1403. Τοὺς ὑπομνηματιστάς schol. Lys. 486. Τοὺς τοῦ κωμικοῦ σχολιαστάς Eustathius ad Homer. p. 1483, 32, ad schol. Equit. 526 respiciens.

quibus τὰ ὑπομνήματα vel ἓνα τῶν ὑπομνημάτων citantur usquam Symmachi nomen praescriptum reperiatur, tantum abest ut τὸ ὑπόμνημα vel τὰ ὑπομνήματα ad Symmachum iis quibus Schneiderus voluit modis tuto referri possit, ut longe maiore cum specie veri contendere liceat scholiorum quæ supersunt farraginem partim ex Phaini et Symmachi, partim ex aliis quibusdam scholiorum collectionibus esse compositam, inter quas si nonnullæ fuerunt auctorum suorum nominibus non inscriptæ, profecto non mirandum est simplici ὑπομνήματος nomine, ubi una aliqua, vel ὑπομνημάτων, ubi plures designandæ erant, in scholiis nostris esse appellatas, quemadmodum in scholiis Sophocleis interdum Didymi aliorumve interpretum nomina apposita, aliquoties autem τὸ ὑπόμνημα (ad Antig. 1326, Electr. 451, 488), vel τοὺς ὑπομνηματισμένους (ad OEdip. Col. 388, 390, 681) commemorari videmus. Hæc si vere disputavimus, in subscriptionibus codicis Veneti nihil esse intelligitur quod non sit rectissime verissimeque dictum.

De ætate qua vixit Symmachus tantum constat, non recentioris fuisse Ælio Herodiano. Ab hoc enim libro περὶ μνηστικῶν λέξεων p. 39, 26, Symmachi de vocabulo κνέφαλλον apud Cratinum notatio memoratur: unde probabiliter conijcere licet scholiis in Cratinum colligendis excerptis augendis eandem fere operam quam Aristophanicis ab Symmacho esse impensam. Præterea Symmachus citatur in Lexico rhetorico in Bekkeri Anecd. p. 224, 12: Βατήρ: τὸ ἄκρον τοῦ τῶν πενταέθλων σκάμματος, ἀπ' οὗ ἄλλονται τὸ πρῶτον. Σέλευκος. Σύμμαχος δὲ τὸ μέσον, ἀπ' οὗ ἄλλονται πάλιν ἐξάλλονται. ἀμεινον ὡς Σέλευκος. De patria viri nihil compertum habemus. Nam quod Atheniensium fuisse narrat Schneiderus p. 65, vitiosa deceptus est scholii ad Acharn. 145 scriptura, quam Valckenarius certissima emendatione persanavit. Non minus obscura Phaini memoria est, quem æqualem Symmachi fuisse non improbabiler conijci posse videtur. Duobus autem his interpretibus tertius, ni fallor, accedere debet ejusdem haud dubie et ordinis et ætatis grammaticus Euphronius, qui ipse quoque excerptas ex antiquioribus grammaticis annotationes suis ipsius copiis auctas composuisse videtur easque non in undecim solis quæ hodie supersunt fabulis versatas; nam ex Euphronii commentario in Tagenistas manifeste excerpta sunt quæ Photius in Lexico p. 383, 22 de proverbio Πάρι ἐξόρουσον tradidit. Ex alia fortasse Aristophanis fabula glossa sumpta est p. 165, 10 explicata, Κιλλεία: πρὸς τῷ Τμητῶ

δασύ· οἱ δὲ κρήνην· Καλλίστρατος δὲ ἄγριον λάχανον τραχύ· Εὐφρόνιος δὲ τὰ ἀκανθώδη τῶν ἐρίων· nisi ad Cratinum referre placeat, in quo explicando Callistratum pariter atque Euphronium operam posuisse ex Athenæo discimus 11, p. 495, A et C (1). Similiter autem, ut apud Photium, Callistrati et Euphronii sententiæ sibi oppositæ memorantur in schol. Aristoph. Vesp. 604, 606, Av. 933, 997, 1377, Symmachi et Callistrati Av. 440; ejusdem vero sententiæ auctores Callistratus et Euphronius perhibentur in schol. ad Pluti v. 385. Quibus in locis ambiguum videri potest utrum sententiam Callistrati, antiqui grammatici Alexandrini, qui centum et quinquaginta amplius ante æram nostram annis vixit, ex ipsius commentario cognoverint scholiastæ nostri, an ex Euphronii Symmachive excerptis repetiverint, quod mihi minus probabile videtur. Nam si Athenæo Callistrati scripta plura usurpare licuit, non est cur scholiastis Athenæo non multo recentioribus Callistrati scholiorum copiam fuisse negemus. Accedit ad hæc quod Didymi, qui vix uno seculo inferior Callistrato fuit, commentarios ab scholiastis nostris inspectos esse indicis satis claris cognoscitur, velut in scholio ad Pluti v. 1010: Σύμμαχος φησι—Δίδυμος δὲ φησιν—. ad Av. 877: Σύμμαχος προείρηκεν—δὲ δὲ Δίδυμος—. 1283: οὕτω Σύμμαχος· ὁ δὲ Δίδυμος σκυτάλια τὰς βακτηρίας· ad 1363: Σύμμαχος· καθοπλίζει αὐτὸν—Δίδυμος δὲ—. Cujusmodi locos Schneiderus p. 61 sententiæ ab se propositæ causa ita interpretari est coactus, ut Didymi explicationes ab scholiastis non ex ipsius commentariis, sed ex Symmachi excerptis afferri crederet, licet scholiastarum verba contrariam potius sententiam commendare videantur.

Jam si omnis hujus disputationis summam repetimus, non sine idoneis rationibus contendere posse videmur, scholiorum nostrorum compositores antiquissimorum interpretum annotationes partim ex ipsis fontibus hausisse, partim ex Phaini, Symmachi, Euphronii aliorumque excerptis (ἐκλογαῖς ὑπομνημάτων) petivisse; quot autem et quos antiquiorum libros adhibuerint vel non adhibuerint, in ea quæ

(1) Ex iisdem Euphronii in comicos commentariis excerpta sunt quæ in Etymol. M. p. 340, 3: Ἐνεργμός· τὸ δ' αὐτὸ καὶ ἐνεργῆς· κρούμα κηθαριστικόν. Εὐφρόνιος δὲ τὸν ἐν μέσῳ τῆς κηθάρας πασσαλίσκον, δι' οὗ ἡ χορδὴ εὐήρηται. Φρόνιος Κόνις «Τι δαὶ τὸν ἐνεργμόν;» et fortasse quæ apud schol. Dionys. Thr. in Bekkeri Anecd. p. 782, 15 leguntur, Εὐφρόνιος δὲ (φρονίμια τὰ γράμματα λέγεσθαι φησι) ὅτι μίλιον τὸ πρότερον ἐγράφετο, ἢ ἐστὶ χρώμα τι φρονίκεον.

hodie est horum scholiorum conditione non posse ad liquidum perducere. Tantum igitur vere dixisse videtur Schneiderus, Symmachi commentarium inter præcipuos scholiorum veterum fontes esse numerandum: unicum fuisse non putamus concedi posse.

M. Thoma Magistro Schneiderus p. 125: «Sunt quædam Thomæ in Aristophanem observationes aliunde notæ, quæ in Aldino exemplari non leguntur: conf. Ducangium in Glossario s. ἀπόθερμον (ex Pl. v. 1121), δεδολισμένος (Ran. 721), κεφάλαιον (Nub. 1156), κορυφαίος (Pl. 953), μαυλίστρια (Nub. 980), προζύμι (Nub. 979), τριεῖον (Nub. 59), et scholion codicis Parisini 2827 ad Pl. v. 1. — Quanquam citantur etiam aliunde Thomæ in Aristophanem notæ, quæ in Aldino quoque exemplari leguntur; conf. Ducang. p. 1536 sub Ταυρίζειν (ubi corrigendum σκορδινῶν) coll. schol. Ran. 922; p. 1712 sub Φυσικεύειν coll. schol. Nub. 167; p. 1769 sub Χρυσόκάνθαρον coll. schol. Nub. 763, ubi Thomana vel tota vel maximam partem cum Aldinis scholiis conspirant; item Pricæus not. ad Apuleii Apologiam p. 9: *Thomas Magister* (quem in indice appellat manu scriptum), inquit, *ex bibliotheca eruditissimi Renati Moræi ad Aristoph. Nub.*: ὡχρῶντες καὶ ἀνυπόδητοί εἰσι (οἱ φιλόσοφοι), ἐπειδὴ μόνῃς ἀρετῆς φροντίζοντες, οὐ τροφῆς διώκοντες τὸ ἀπέρριτον. quæ reperiuntur in schol. Aldino ad Nub. 103. » Et in annotatione ad locos supra ex Ducangio citatos: «Usus est Ducangius codice Parisino (Colbert.) 4421, ut ipse indicat in indice auctorum tom. 2, p. 33; is continebat Plutum, Nubes, Ranas cum Thomæ scholiis, item glossas interlineares ad easdem fabulas, quas glossas et ipsas Thomam scripsisse Ducangius putat, vereor ne injuria; vide modo ipsum Ducangium sub Φυσικεύειν p. 1712. Sed operæ pretium fecisse videbor, si, quod Ducangius omisit, indicem earum glossarum subiecero, quibus ditari scholia possunt; conf. igitur Ducangium p. 4, 550, 588, 596, 597, 605, 617, 622, 637, 640, 670, 738, 784, 819, 830, 843, 846, 928, 965, 977, 1094, 1124, 1320, 1353, 1358, 1413, 1522, 1571, 1624, 1657, 1673, 1712, 1723; Addend. p. 19, 50, 52, 69, 76, 77, 97, 100, 106, 112, 132, 145, 150, 153, 154, 165 (bis), 174, 178, 185, 186. Præterea Ducangius utebatur codice Parisino regio 3324, qui continebat Plutum et Nubes cum glossis interlinearibus et scholiis (vid. indic. auct. p. 38 et p. 38), unde deprompta sunt e. g. quæ p. 1384 sub Σκατοπάμπουλον posuit; item in Add. p. 83 et 172; reliquos locos non notavi.» De opera

ab Thoma Magistro ceterisque Græculis in tribus primis fabulis interpretandis posita qui accuratius dicere volet, codices seculi quarti quintique decimi, quales non pauci supersunt qui margines futilibus hujusmodi annotationibus oppletas habent, excutere debebit: qui labor nihil ad intelligendum Aristophanem scholiastasque veteres emendandos, nonnihil fortasse ad Ducangii Glossarium locupletandum conferet, quanquam hoc quoque exiguum erit, quum interpretamentorum istorum pars longe maxima jam ex codicibus Hemsterhusii, Brunckii, Dobræi meisque innotuerit.]

Argumentum scholiorum veterum tripartitum est. Alia enim in judicanda scripturæ diversitate versantur, alia in explicandis poetæ verbis sentiis, alia denique in metrorum formis declarandis. De scripturæ diversitate quæ annotata videmus, maximam partem ad librorum spectant errores uno alterove in codice repositos, et tum demum addita videntur quum scholia ex diversis codicibus collecta in unum corpus redigerentur. Grammaticis Alexandrinis facile intelligitur ea tantum tuto imputari posse quæ appositis ipsorum nominibus memorantur: quæ paucissima sunt. Sic ad Ran. 320 Διαγώρας ab Apollodoro Tarsensi in δι' ἀγορᾶς inepte mutatum memoratur; Aristarchi et Apollonii sententia de versibus quibusdam spuris ejiciendis ibid. 1437. Callistrati Aristophanei interpretatio lectionis absurdæ κατ' ὄρθον (pro κατ' ὄρθρον) ad Vesp. 772. Demetrii Zenodotei conjectura parum prudenter excogitata κἀνδύλον pro κόνδυλον Pacis v. 50. Aristophanis Byzantii supplementum versus unius haud dubie ex codice aliquo ducti, ἐρῶ δ' ἔγωγε τῶν ἐν ὄρνισιν νόμων, ad Av. 1343, probabilis ejusdem lectio Ἀλκαῖος pro Ἀγαῖος ad Thesm. 169, minus probabilis τῇ δαδίνῃ pro τῇ λαμπάδι ibid. 917. Conjecturis qui indulgere volent, alia non pauca ad idem fortasse genus referenda ex scholiis conquirere potuerunt, a quibus enumerandis ego eo magis abstinendum puto quo inutiliora pleraque esse video, velut quod κολοκτρούνα pro κἀλεκτρούνα lectum a quibusdam fuit et utnunquam explicitum Ran. 935, ποῦ δὲ περαιωθήσομαι pro πῶλος, οὐ ναυσιλήσομαι Pac. 126, τὴν πόλιν pro τὴν Πύλον ibid. 219, δέρμα pro λαῖμα Av. 1563, Κλέμαχος pro Φυρόμαχος Eccl. 22. Longe majoris faciendi nobis sunt quæ ad interpretandas comici fabulas scholiastæ veteres vel ex doctrinæ suæ thesauris attulerunt vel ipsi sagaciter animadverterunt: quanquam, qui fuit eorum mos, interdum hariolando longius quam debebant progressi ad

nugas esse delapsi reperiuntur. Ejusmodi est quod Philonidem illum qui in Pluto memoratur v. 179, cum Philonide histrione confudit Callistratus, ibid. 1011 Symmachus vitiosa deceptus scriptura νιτάριον καὶ βάτιον (pro νητάριον καὶ φάττιον) cinædos nescio quos commentus est Nitarium et Battum, alii autem florum ista esse nomina sibi persuaserunt, cui invento simile est quod Aristophanes Byzantius ἀπραγμοσύνην florem finxit pessime intellectis poetæ verbis Nub. 1007 μιλακος ὄζων καὶ ἀπραγμοσύνης καὶ λεύκης φυλλοβολούσης κόρυρον, quod vile genus oleris est, pro piscicula habuit Lycophro, notatus propterea ab Eratosthene ad Vesp. 239. Non melioris notæ opiniones sunt Aristarchi et Symmachi de verbis ἐμποδίζων ἰσχυράς Equit. 755, Callistrati de Γλάμων pro nomine proprio accipiendo ad Ran. 588, ejusdem de Clidemide Sophoclis filio ibid. 791, Symmachi de τελέα avicula Av. 168, Euphronii πάππον avem fingentis ibid. 765, Didymique Neottus ex verbis poetæ νεοττὲ δέσποτα confictus. Huc accedunt peccata quædam chronologica, ut ad Nub. 7, ubi scholiastæ poetam ad servos respexisse autumant libertatem adeptos propter pugnam ad Argennusas, quam duodevigesimo post Nubium fabulam annō pugnatam esse constat. Similes sunt hallucinationes quas notavimus ad Eq. 520, 797, Ach. 760, Vesp. 60, Pac. 450, 451, 702, Av. 521.

De scholiis metricis antiquis fragmenta tantum supersunt in codicibus nostris, rarissima in Ravennate (1), frequentiora in Veneto (2), ad

(1) Nub. 1131, 1170, 1303, Pac. 512, Thesm. 531, Lys. 484.

(2) Nub. 457, 805, 889, 1170, 1259, 1303, Ran. 383, Eq. 1, 247, 284, 303, 328, 382, 409, 498, 507, 551, 565, 611, 616, 624, 684, 692, 756, 824, 835, 911, 919, 941, 972, 997, 1014, 1067, 1070, 1111, 1264, 1316, 1335, Vesp. 1, 248, 1071, 1090, Pac. 1, 82, 111, 124, 154, 300, 346, 383,

solam fere Equitum fabulam in Laurentiano Θ (3): quorum de auctore si quæritur, non invenio cui majore cum specie veri tribuam quam Heliodoro, clarissimo inter veteres doctrinæ metricæ scriptori, ejus auctoritate non raro usi sunt Hephæstio, Priscianus, alii: acceditque conjecturæ meæ nonnihil commendationis eo quod Heliodori nomen non solum duobus in locis scholiorum, ad Vesp. 1281 et Pac. 1352, sed etiam in subscriptione codicis Veneti memoratur in fine Nubium et Pacis (4). Valde diversa ab his sunt scholia metrica Aldina, quibus codices nostri carent: quæ certissimum haberi potest a Demetrio Triclinio, adhibitis interdum scholiis antiquioribus, esse composita. Similima enim sunt ejusdem grammatici scholiis Sophocleis, videturque de auctore tanto minus dubitari posse, quod Triclinii nomine prolegomena illa sunt inscripta (sect. xvii ed. nostræ), quibus in universum de opera explicandis poetarum scenicarum metris ab se impensa disserit: de qua satis magnifice sensit. Nam θεῶν τινὶ καὶ ἀπορρήτω ἐμπνεύσει adjutum se esse prædicat, licet metrorum descriptiones plurimas excogitaverit tales ut diis esse usus videatur Triballis.

Scribebam Lipsiæ, exeunte anno 1836.

426, 435, 459, 486, 571, 582, 651, 658, 729, 756, 796, 819, 856, 922, 939, 974, 990, 1016, 1039, 1127, 1188, 1191, 1283, 1289, 1329, 1352, Av. 209, 1188, 1262, 1480.

(3) 284, 303, 382, 498, 551, 565, 616, 756, 824, 835, 919, 941, 972, 1038, 1067, 1070, 1111, 1264, 1316, 1335, Nub. 1303, 1320, 1352.

(4) In *Addendis*: Idem conjecit Schneiderus p. 119, recteque monuit in subscriptione codicis Veneti in fine Nubium καὶ ὁλιστάι corrigendum esse, quod ipsum in subscriptione Pacis est servatum: videri enim Heliodorum aliquam κωλομετρίαν τῶν μελικῶν Ἀριστοφάνους scripsisse, qualem postea Eugenium literis mandasse scimus hoc sub titulo: κωλομετρία τῶν μελικῶν Αἰσχύλου, Σοφοκλέους καὶ Εὐριπίδου ἀπὸ δραμάτων 15. de quo v. Suidas s. Εὐγένιος.